

Sigismundus primus rex Polonia, Pau-  
lo tertio pontifici maximo.

121

Est in fide clientelaeque mea venerabilis Pau-  
lus Plotowski praepositus et canonicus Var-  
miensis, qui complures annos mihi servi-  
endo ita se gessit, ut omnibus in aula mea  
gratus sit et probatus. Eius propinqui et  
neussani homines equestriis ordinis vene-  
runt ad me, decem et octo annos plus mi-  
nus, cum in sacerdotiorum suorum posses-  
sione fuisse dixerunt, nunc instinctu malo-  
rum quorundam, fortunarum suarum omni-  
um periculum ei creari per Quirinum Gal-  
ler, graviter et vehementer questi sunt et  
deplorarunt, adeoque mentes eorum permove-  
runt, ut assurrexerint et senatorius et eque-  
ster ordo, magnoque studio et contentione à  
me flagitaverint, quando quidem genus istud  
tam controversorum hominum contineri non  
possit, ut à iure meo potestateque regia praes-  
sidia peterem, neque paterer ut quo quisque  
maiore praeditus sit integritate, hoc magis sit  
istorum insidiis oportunus, nam nisi prospici-  
cerem, futurum esse, ut dominia possessio-  
nesque sacerdotum in incerto sint, neque ullum  
ius tam firmum quisquam habere possit,  
ut se vel eadem ipsa hora de sacerdotio  
suo deturbatum non iri, certo sibi queat polliceri.

Hac

702  
Hac eorum oratione sum equidem non me-  
diocriter commotus, sed pro more meo in-  
stitutique veteri, proque ea pietate, qua in san-  
cta sede ista sancte colenda, nemini seun-  
das esse velim, prius ad sanctitatem vestram  
referendum putavi, à qua maiorem in mo-  
dum peto, ne hæc tam indigna in ea ur-  
be fieri permittat, unde ab omnibus genti-  
bus, pietatis, charitatis, mansuetudinisque  
christiana exempla petita oportuit.

Credibile non est quomodo fremat equester  
ordo contra Romanam civitatem, quanto studio  
contendat, ne que ibi tractentur negotia, ne que  
è regno pecunie quocunque tandem nomine ist-  
huc efferantur, in eo mitigando permultum  
habeo negotii. Sed inanis erit opera mea, ni-  
si à vestra quoque sanctitate provisum isthuc  
fuerit, ut ne per controversos istos homines ma-  
gis incendantur animi equestris ordinis, ad ea  
que ceperunt pertendenda. Quare quantum suam  
ipsius auctoritatem salvam esse cupit, tan-  
tum det operam, ut ne homines mei eque-  
stris ordinis, atque imprimis Paulus hic, per  
corvos istos licentes irritentur. Meum studium  
hac in re non deerit, modo ipsa sibi sancti-  
tas vestra deesse nolit, atque eos, quorum  
vitiis male audit Romana civitas, coercere  
in animum inducat. Commendo me etc.